

- 864 *Parricidarum pœnæ.* Triumviros creavit, qui de parricidis quæstionem haberent, de fontibus judicarent, deque his cognoscerent, qui secessionem in Ducarium fecissent. Trium viri creati sunt, Petrus Equiliensis Antistes, Joannes Gradenſis Archidiaconus, & Dominicus Maſſonius: hi parricidii reos alios in Galliam, alios in Græciam perpetuo relegarunt: quidam adhuc indemnati interfecti sunt: Urfus Grugnarius conjuratorum unus Dæmonibus vexatus miserabili cruciatu periit: ut manifeste appareret, Tradonici mortem non hominibus solum, sed superis quoque displicuisse. Qui secessionem fecerant, quoniam non sine motu civitatis id esset factum; alii extra Venetos fines ejecti, alii, atque omnino plures, in Popiliam insulam relegati. Distat locus ab urbe quinque passum millia: huc uxoribus & liberis traductis ita procedente tempore res eorum crevere, ut oppidum quod illi condidere, sit frequenter postea habitatum: sed illud ipsum, quantumcunque fuit, Genuensi bello prorsus interiit. Ita Respublica triumvirali judicio pacata, Urfus Particiatius Dux declaratus est. Hujus auspiciis constat Rempublicam domi forisque sæliciter administratam: initio sui Principatus, ut Veneto nomini rata pax esset cum Narentanis, & aliis, qui piraticam exercebant, auctor extitit, ut obsides aliquot Barbaris darentur. Hoc Annales habent: quidam autem Venetarum rerum scriptores nullam prorsus datorum obsidum mentionem fecere. Nec multo post Sarraceni, qui ex Alexandria profecti Cretam insulam annos citciter viginti post Sabbæ Mauri in Italiam adventum occuparant, repente in Dalmatiam progressi, omnem oram maritimam cum Histria prædati, Gradum obsidione cinxerunt: eos subito accessu ita Urfus turbavit, ut navibus trepide abductis continuo in altum abierint. Apud quosdam reperio, strenuam in ea expeditione operam a Joanne Principis filio, juvene impigro, navatam: quod si sic est, haud absurdum erit credere, non modo ad famam Venetæ classis territos Barbaros non fugisse, sed congregi etiam ausos: atque ita evenisse, ut juvenis, quia in hostem fortiter eo die depugnasset, jussu populi datus sit Patri collega. Bonitendus non circa Gradum solum, sed apud Tarentum quoque ab

Urſo

868 *Venitorum opera Gradus insula Sarraceno-rum obsidione levata.*